

trò seculis formidolosum adfectarunt audaces omnia perpeti Belgæ, ut ex longè dissitis fertilissimisque insulis & regionibus ad nostras terras aromata, gemmas, metalla aliaq; quibus allicerent emptorem, exportandi viam brevioris compendii totiq; Europæ incredibili modo profuturam explorarent.

Th. IV. Docet id res ipsa & milliarium computatio. Ter mille enim milliaria Germanica fermè emetiuntur, qui ex Japonia sive insulis Japonicis auri gemmarumq; feracibus (quæ ab ortu Sinarum regno objacent) ad nos merces devehunt, cum vix mille & ducenta ferente vento conficienda essent, si ex Hollandia per Arctoum pelagus via aperiretur & innotesceret.

Th. V. Non esse autem omninò impossibilem per illud mare ad Sinas ipsiq; proximas insulas navigationem ex eo colligi potest, quod apud Plinium Cornelius Nepos de septentrionali circuitu tradidit; Q. Metello Celeri Gallia Proconsuli Indos à Rege Suecorum dono esse datos, qui ex patria commercii gratia navigantes, tempestatibus in Germaniam necessariò per Oceanum Orientalem & Septentrionalem fuerant abrepti. Hæc res primum inter Anglos animum addidit Hugoni Willoughbæo Equestri Ordinis viro ut consensu navibus itinere Septentrionali viam quæret ad regna Cathay & Sinarum, quod factum Anno c<sup>ho</sup> l<sup>o</sup> l<sup>iii</sup>. ut narrant Angli, temporibus Edvardi VI. Regis. Eandem postea persecutus est viam ejusdem gentis Martinus Forbisherius aliq; quorum exemplis successu temporis incitati & adjuti Batavi, annis quos dixi, 1594. 1595. 1596, Hyperboreum mare e mensi tandem eò usque pervenerunt ut polum Arcticum supra verticem gradibus octuaginta & amplius prominentem conspicerent.

Th. VI. Tandem post longam & molestam navigationem, cum subinde ad glaciem adhærescerent, nec ulla ibi felicitatis indicia cõperirent, sibimet receptui cecinerunt & retrò vestigia legentes sub exaltatione Cardinis graduum septuaginta sex, vastis & immensis glaciæ fragmentis supra invicem impulsis tanquam præaltis montibus circumcincti, sese inde extricare non potuerunt. Sua itaque in terram sibi vicinam, quam vulgò novam Zemblam vocant, eiecerunt, & navi inter glaciales aggeres relicta ex lignis & arboribus ex Tartaria vel Moschovia aut aliâ regione fluctibus abreptis eòq; delatis